

vis in alia materia quam luxuriæ. Sed communiter, et probabilius docent. Antonin. Suar. Abulens. Sanch. Silvest. Sa Roncaglia Bonac. Anacl. Salmant. Holzman Elbel etc. non esse obligationem gravem vitandi causas, nisi graviter culpabiles in eadem materia luxuriæ. Diximus *gravem*; nam erit obligatio levis nisi adsit aliqua rationalis causa ut probabilius tenent Sanch. Less. Roncaglia Bonac. Salm. etc. contra Holzman, Croix etc. Imo valde probabiliter Rone et Salm. dicunt non excusari a mortali qui frequenter pollutiones expertus fuerit ex causis culpabilibus (licet per se non graviter) in materia turpi, puta ex lectione turpium curiosa, aspectu picturæ inhonestæ, vel coitu animalium, et similibus quia respectu talis personæ causæ prædictæ non leviter sed graviter influunt. Secus autem aiunt iidem Salm. et Sanch. de causis quæ sunt omnino leves, quas universas vitare esset moraliter impossibile (1). Pollutio habita in somno non est pec-

(1) L. 3. n. 484.

catum, nisi fuerit antea intenta, vel nisi postea quis se complaceat de delectatione habita; si vero gaudeat de exoneratione, vide dicta *Tr.* 3 n. 52.

Denique sedulo hic advertendum, quod in hac materia sexti præcepti oportet, quantum possibile est, omnem adhibere severitatem, cum in re tam labili nulla cautela unquam nimia existimari debeat, et plures opiniones, quæ speculative loquendo sunt probabiles in praxi improbabilis evadunt. Hinc confessarius ubi periculum potentium inspicit licet actionem, quam illi vellent perpetrare, de certo peccato mortali damnare non valeat, tamen nullo modo permittat. Hoc medici animarum est præsertim respectu eorum qui in vitio turpi habitum in præterito habuerunt: his enim non solum proximis occasiones vitare, sed etiam remotas opus erit; alias ob fragilitatem contractam semper in idem recident, cum in hac materia, ad quam homines naturaliter sunt proni, de facili a minoribus ad ulteriora mala ipsi progrediuntur.

TRACTATUS X.

DE SEPTIMO PRÆCEPTO DECALOGI

CAPUT I.

DE JUSTITIA JURE ET DOMINIO.

1. *Divisio justitiæ juris, et domini.*
2. *Peculium filii familias: de castrensi, et quasi-castrensi.*
3. *De profectio, et patrimoniali, aut acquisito a filiis in negotiatione.*
4. *De adventitio.*
5. *De bonis uxoris.*
6. *Bona clericorum, I. patrimonialia, II. industrialia, III. ecclesiastica, IV. parsimonialia.*
7. *An beneficiatus habeat dominium absolutum fructuum.*
8. *Qui hos fructus recipit a beneficiato.*
9. *Quot modis acquiritur dominium, etc.*
10. *ad 43. De prescriptione.*

1. Justitia dividitur in legalem, distributivam, et commutativam. *Legalis* respicit jura, et pœnas juxta leges;

distributiva respicit personarum merita circa præmia, et honores; *commutativa* bonorum valorem, ut unicuique reddatur quod suum est. Jus autem dividitur in jus *in re*, et in jus *ad rem*. Jus *ad rem* dicitur illud quod præbet actionem ad prætendendum aliquid non adhuc obligatum. Jus autem *in re* dicitur illud quod actionem præbet super re jam obligata, ut est jus quod acquirat emptor super re empta, aut clericus super beneficio ipsi collato. Insuper jus *in re* dividitur in dominium, et usumfructum. *Dominium* aliud est jurisdictionis in subditos, aliud proprietatis in bona. Præterea aliud est *directum* quod habet princeps in suo feudo, et dominus in fundo in em-

phyteusi dato; aliud est *utile* quod habet feudatarius, et emphyteuta. *Ususfructus* autem est jus percipiendi ac etiam alienandi fructus alicujus fundi: ad differentiam *usus*, propter quem, qui eum habet, potest quidem uti fructibus, quibus ipse et ejus familia indigent, non tamen potest aliis alienare (1).

2. Hinc videndum super quibus bonis habeant dominium filii familias, uxores, et clerici. Et I. quoad filios familias notandum est quadri-fariam posse esse eorum peculium: castrense, quasi-castrense, profectitium et adventitium. I. *Castrense* sunt illa bona quæ filius acquirat in militia, aut propter militiam. II. *Quasi-castrense* sunt bona acquisita in officiis publicis, judicis nimirum, advocati, lectoris, medici, et etiam notarii, ut docent Nav. Mol. et Lugo; et Sanch. addit officium architecti principis vel civitatis. Istorum peculiorum filius plenum dominium habet in proprietate, et usufructu. Et idem dicitur de eo quod acquirat filius familias qui est clericus, tam ob officium clericale (juxta id quod habetur in *Authent. I c. de Episc. et Cler.*) quam ob quemlibet alium titulum, juxta communem sententiam Mol. Lug. Sanch. etc. (2). Excepto titulo beneficii; de quo questio est an clericus acquirat plenum dominium fructuum, ut videbimus *seq. num. 7.*

3. III. *Profectitium* vero sunt bona quæ filius negotiando patris pecuniam lucratus est, aut filio donata fuerunt, sed tantum patris intuitu. Hoc peculium est solum patris quoad proprietatem et usumfructum. Notandum tamen 1. in dubio an bona sint filio donata intuitu ejus, an patris, tunc filius integre potest ea retinere tantum, si bona fide incepisset ea possidere. Notandum 2. bona a patre in patrimonium filio data, ut ordinatur in *Sacris*, non esse amplius profectitia; sed hæc tamen debent confer-

(1) lib. 3. n. 486. 487. — (2) n. 488.

ri cum fratribus, cum clericus hæreditatis paternæ portionem exquireret. Not. 3. si filius negotiatus est bona paternæ nomine patris, lucrum fore peculium profectitium; si vero nomine proprio, fore adventitium ut docent Lugo et Mol. Et in dubio an lucrum provenierit ex bonis patris aut alterius, tunc tantum habetur profectitium, cum filius habuit bonorum patris administrationem, Lugo cum Gomez Bartol. etc. Nota 4. si filius negotiatur bona patris, extra domum paternam morans, et nihil a patre recipiens pro alimentis, tunc lucrum est adventitium; sed si negociatur in domo patris, et alimenta ab eo recipit, lucrum est profectitium. Sed si servitus, quam filius præstat, sit excedens, tunc potest prætere stipendium (3); circa hoc vide *infra num. 228.*

4. IV. Denique peculium *adventitium* sunt bona quæ proveniunt filio aliunde quam a paternis, aut sunt donata filio intuitu suo proprio. Hæc, si sunt consumptibilia usu, pater disponere potest, cum obligatione tamen ea restituendi filio post suam mortem; si vero sunt stabilia, filius habet solam proprietatem et pater usumfructum, etiamsi sint bona majoratus, ut dicit de Lugo. Sed in quibusdam casibus ad filium spectat etiam ususfructus, puta 1. si ususfructus etiam donatus fuisset præcise filio, aut si donatio facta fuisset contradicente patre. 2. Si filius simul cum patre succedat in fratris hæreditatem. 3. Si filius recipiat dotem sine patris fidejussione. Ceterum extra hos casus filius non potest de bonis adventitiis sine patris consensu disponere; et etiam cum consensu patris non potest testari, nisi ad causas pia, ut ex *c. Licet. de sepult. in 6.* Ususfructus vero est patris usquedum hæc vivit, licet filius ex patria potestate exiverit, dummodo ad Episcopatum non promotus, aut ad aliam magnam dignitatem; Salm. et Holzman. Et si

(3) L. 3. n. 488 v. 3. Peculium.

pater filium emancipat sponte, dicit de Lugo, medietatem ususfructus ad patrem, et alteram medietatem ad filium spectare; sed hoc non procedit si emancipat matrimonii causa. Insuper dicit quod si pater permittit filium extra domum incolere, non ideo judicare illum remittere usum fructum prædictum, nisi quando eum dimittit, ut sibi aliunde victum comparet, antequam Filius hunc usum fructum consumit patre tacente (1).

5. II. Quoad uxores, bona earum altera sunt *dotalia*, altera *paraphernalia*, quorum ipsæ plenum habent dominium. Bonorum autem dotalium ususfructus et administratio pertinent ad virum, proprietatis vero ad uxorem, adeoque mortuo viro ipsa omnibus creditoribus ipsius personalibus præfertur. Et etiam in vita potest reperire dotem, si vir periclitaretur fieri impotens ad illam restituendam. Si vero dos consisteret in pecunia aut in aliis usu consumptilibus, vir plenum acquirit dominium, cum obligatione postea restituendi uxori tantumdem. Et idem currit pro bonis stabilibus, quæ viro æstimata dantur, et animo venditionis, adeoque si pereunt, sibi pereunt (2).

6. III. Clericorum denique bona quadruplicia sunt. I. *Patrimonialia*, quæ ipsi obveniunt ex quacumque causa profana. II. *Industrialia* seu quasi *patrimonialia* sunt ea quæ clerici acquirunt ex ecclesiasticis functionibus sine beneficio, ut ex concionibus, ex Missis, etc. III. *Ecclesiastica* quæ acquiruntur ex beneficiis. IV. *Parsimonialia* quæ clericus ex redditibus ecclesiasticis subtrahit de sua sustentatione, vivendo parcius quam honeste vivere potuisset. Et I. quoad bona patrimonialia non dubitatur quin de iis plenum dominium habeat. II. Idem procedit de bonis industrialibus juxta comm. sententiam Lessii Sanch. Castrop. Lugo Anac. Salm. etc.; et idem dicunt probabi-

(1) L. 3. n. 488. v. 4. Peculium. — (2) n. 489.

liter Silvest. Azorius Angel. Bonac. Lugo Salmant. Less. etc. de distributionibus quotidianis quæ dantur canonicis (contra Navarr. et Sanch.); quia istæ non dantur immediate ob titulum beneficii, sed ob servitium tamquam personæ stipendium (3). III. Idem procedit de *parisimonialibus*, de quibus potest clericus pro suo libitu disponere, ut dicunt etiam communiter Navarr. Cabas. Sot. Less. Anacl. Covarr. contra Petrocor. et alios paucos (4). Et idem docet expresse s. Thomas (5), ubi sic dicit: *De his autem quæ sunt specialiter sua usui* (nempe clerici) *deputata, videtur esse eadem ratio quæ est de propriis bonis*. Ratio est quia hujusmodi fructus dantur clerico tanquam stipendium laborum, quos ille exhibet servitio Ecclesiæ, juxta id quod declaravit Concilium Agathense in Canone 36. (6).

7. IV. Major difficultas restat circa bona ecclesiastica quæ supersunt propriæ sustentationi, si clericus male impendat ea, an teneatur ad restitutionem. Non dubitandum quin beneficiatus mortaliter peccet, si male impendat fructus superfluos, et si non distribuit pauperibus aut in aliis piis causis, ut dicunt dd. communiter (7). Dubium itaque est an præterea teneatur ad restitutionem? Prima sententia affirmat cum Layman Concina Habert Roncagl. Petrocor, etc. quia, ut dicunt, nulla ratione probatur beneficiatus adipisci dominium fructuum beneficii; et si forte adipiscitur, saltem (sicut aiunt Laym. Bonac. Roncagl. etc.) acquirit quoddam dominium limitatum, juxta mentem Ecclesiæ, ad quam supremum dominium ecclesiasticorum bonorum spectat, nempe dominium cum onere annexo superfluum pauperibus dispensandi. Credunt auctores contrarii hoc dominium probare propter divisionem factam olim a Simplicio Papa, qui præcepit

(3) n. 490. et 491. — (4) cit. n. 491. v. 3. Idem. — (5) 2. 2. q. 185. a. 7. — (6) L. 3. n. 491. — (7) ibid. v. 4. Major.

donorum ecclesiasticorum quartam partem tradi Ecclesiæ, quartam Episcopo, quartam pauperibus, quartam clericis. Sed respondet Habert ignorari, an hæc divisio unquam effectum habuisset; unde, inquit, donec probetur illam certe factam fuisse, retinent pauperes jus suum super omnia bona ecclesiastica superantia clericorum sustentationem (1). Hoc tamen non obstante, negari non potest oppositam sententiam, quam tenent Lessius Lugo Azor. Cabass. Salmant. Holzman etc. satis esse probabilem, præsertim ob auctoritatem s. Thomæ (2), qui expresse docet, quod de bonis beneficiorum eadem habetur ratio, quam de bonis patrimonialibus; hinc dicit in alio loco (3) quod si clericus abutitur fructibus suæ præbendæ, *non tenetur ad restitutionem, sed solum ad pœnitentiam peragendam*. Atque loco antea citato supponit s. Doctor asseritque pro verbo divisionem præfatam bonorum vere effectum habuisse; imo notandum, non quidem Simplicium Papam introduxisse prædictam divisionem, sed invenisse introductam, et ipsum tantum de illa executionem præcepisse, ut apparet ex eadem ejus epistola, ubi jussit Episcopum Gaudentium restituere tres portiones ecclesiasticorum reddituum, quos per triennium sibi appropriaverat, retinendo solam quartam partem quæ ad eum pertinebat: *Sed sola ei ex his quarta portio remittatur, tres illas portiones, quas per triennium dicitur sibi tantummodo vindicasse, restituat* (4). Ex quo deducunt secundæ sententiæ auctores, quod fructus beneficiorum clericis deputati in eorum dominium transeunt. Idque videtur confirmari a Concilio Trident. Sess. 24. cap. 12. de ref. illis verbis: *Fructuum, quos ratione etiam præben-*

dæ ac residentia fecit suos. Atque a Concilio Lateranensi V. Sess. 9. §. *Statuimus*, ubi dictum fuit quod beneficiarius, si omittit officium recitare post sex menses a die possessionis, *fructus suos non faciat*; ergo si non omittit, bene fructus facit suos.

8. Hinc quæritur an qui recipit dono a beneficiato hæc bona superflua graviter peccet, et teneatur pauperibus restituere? Distinctione utendum est: si tali donatione factus non est beneficiatus impotens satisfaciendo suæ obligationi, et donatarius bona fide recepit dictos fructus, ad nihil tenetur, nam recepit a clerico qui, probabiliter (ut supra dictum est) erat dominus, saltem cum dominio limitato. Si autem clericus redderetur impotens, et donatarius reciperet fructus prædictos cum mala aut dubia fide, dicimus eum debere majorem partem restituere pauperibus, juxta id quod dicitur in simili casu *num. 130*. Dico *majorem*, quia cum jam sit æque probabilis cum s. Thomæ prima sententia, nempe quod beneficiarius sit dominus absolutus fructuum, non potest ad totum teneri donatarius, sed tenetur tamen ad majorem partem, quia cum sola opinione probabilis non potest quis accipere possessionem alicujus rei, ut dicitur in simili casu (5). Circa administrationem fructuum beneficii observentur quæ dicemus *Tract. 13. ex n. 45*. loquendo de obligationibus beneficiorum.

9. Videamus denique quot modis acquiratur dominium. Tribus modis acquiritur, nempe voluntate domini, propter jus naturale gentium, et propter jus positivum. Et I. acquiritur dominium privata domini voluntate, et de hoc erit sermo agendo de contractibus. II. Jure naturali gentium, nimirum I. *Occupatione*, nam res quæ dominum non habent primo occupanti conceduntur; §. *Ferè, instit. de rer. divis.* (de Thesauris, et rebus casu

(1) L. 3. n. 492. — (2) S. Thom. 2. 2. q. 185. a. 7. — (3) Idem s. Thom. Quodlib. 6. a. 12. ad 3. — (4) Epist. s. Simplicii ad Florent. ap. Harduin. in collect. concil. tom. 2. pag. 380.

(5) L. 3. n. 492. v. Quær. 8.

inventis loquemur num. 69, et 70.).
 2. *Nativitate*, propter quam foetus animalium spectant ad dominum stabulorum; § *Itemea*, eod. tit. 3. *Alluvione*, propter quam si insensibiliter fundo alterius aliquid adjicitur, ille acquiritur; secus si patenter; § *Præterea*, eod. tit. 4. *Accessione*, v. g. si ad tuam vestem consuit ornamentum aliquod (quod difficiliter separari potest, ut est opus acupictum), illud fit tuum; § *Sic tamen*. 5. *Specificatione*, cum datur ab aliquo forma materiei alienae, illi acquiritur, soluto pretio domino rei; § *Cum ex aliena* (1). 6. *Confusione*, v. g. olei cum oleo; aut *commixtione*, v. g. pecuniae cum pecunia, frumenti cum frumento, tunc res fit possidentis (dummodo res sua sit major), cum obligatione tamen restituendi domino minoris partis pretium; ut habetur ex *L. Si alieni nummi. ff. de solut.* Et hoc quod de pecunia valet etiam pro aliis similibus, ut dicunt Less. Lugo Vasq. Silvestr. etc. Caterum dominus minoris partis semper potest ex cumulo accipere suum, ut dicunt probabiliter Less. Castrop. Salm. et Trullench. (2). 7. *Edificatione*, si aliquis aedificat in suo fundo ex materia aliena, acquirit dominium materiae cum obligatione restituendi duplo majus; si quis autem materia propria aedificat in fundo alieno, totum perdit; § *Cum in suo, inst. de rer. div.* quia praesumitur velle donare, secus vero si constet noluisse donare (*L. 1. c. de rei vind.*). 8. *Plantatione*, ut si quis arborem alienam in suo solo plantat. Planta tamen si juxta fines alieni soli consita sit, et radices in illud jecerit, fit communis, § 31. *Eodem*, etc. Si vero arbor secus alienum fundum posita ramos distendit in proprium fundum, non licet incidere ramos illos, nisi quando proximus admonitus incidere renuit (3). 9. *Perceptione fructuum bona fide facta*, § *Si quis eod. loc.* 10. *Traditione rei*, qua dominus

(1) L. 3 n. 493. ad 497. — (2) n. 498. et 499. — (3) n. 500. ad 503.

vult dominium in alium transferre, § *Per traditionem eod. instit.*

10. III. Denique dominium acquiritur jure positivo praescriptionis. Sed ad praescriptionem quatuor conditiones requiruntur: 1. *Bona fides* qua possessor rei certo credit rem esse suam. 2. *Titulus justus* emptionis, donationis, etc. saltem probabiliter praesumptus, aut coloratus: ut dicit La-Croix cum communi (4). 3. *Possessio continuata*. 4. *Ut res non sit vitiosa*, sed apta praescribi. Quoad tertiam autem conditionem animadvertendum quod possessio debet esse continuata per tres annos pro mobilibus, ut ex §. 1. *Inst. de usucap.* sive inter praesentes, sive inter absentes, ut dicunt Less. Anacl. et Verdecum comm. contra Bonac. qui vult quatuor annos inter absentes. Nihilominus Bas. cum Trullench. etc. requirit pro fructibus perceptis duos annos inter praesentes et quatuor inter absentes. Bona autem immobilia praescribuntur spatio decem annorum inter praesentes, et viginti inter absentes, qui in diversis provinciis morantur, ut vult de Lugo. Si vero aliquis partim est praesens et partim absens, anni absentiae sunt duplicandi, v. g. si fuerit praesens octo annos et duos absens, hi duo duplicandi sunt, et 12. anni requiruntur ad praescriptionem. Si autem deesset titulus, tam pro stabilibus, quam pro mobilibus, requiruntur 30. anni. Pro bonis immobilibus Ecclesiae requiruntur 40. anni, c. 1. *de Inst. restit.* et Ecclesiae romanae 100. An autem pro mobilibus Ecclesiae requiratur idem tempus 40. annorum? Affirmant Anacl. Hostiensis Panorm. etc. dicentes, quod in praefato textu nulla fit distinctio; sed Bonac. Less. Laym. Mol. Castrop. et Lug. volunt sufficere triennium. Utraque sententia est probabilis (5). Notandum hic possidentem beneficium tres annos aut illius fructus, jam praescribere

(4) n. 504. et 505. — (5) lib. 3. n. 506. ad 511.

juxta regulam Cai cellariae relatae a Croix (1), etiamsi titulus fuisset nullus; dummodo non intercesserit intrusio, aut simoniacus ingressus.

11. Dictum est *possessio continuata*; nam possessio potest interrumpi aut naturaliter per illius cessationem; aut civiliter, ut cum mota est aliqua lis justa super bona, aut si prosequitur in possessione cum ignorantia legis manifestae, prout tenuimus cum sententia probabiliori Mol. Dicast. Croix etc. (contra Lugo Less. Castrop. etc.) quia tunc deficiente fide civiliter bona, leges (vi quarum acquiritur dominium) negant praescriptionem. Si vero cum jam coepta est possessio cum bona fide, supervenerit dubium, et facta diligentia veritas non reperitur, dicunt Anacl. La-Croix et Lugo cum Molin. Less. et communi, ut asserit, praescriptionem non interrumpi (2).

12. Notandum 1. successorem particularem (ut est emptor, legatarius, etc.) possessoris male fidei bona posse praescribere, nunquam vero haeredem, ut dicunt Molin. La-Croix, et alii communiter; et Neapoli jam sic decisum est a quatuor Rotis S. C. 1738. Et hoc procedit etiamsi esset haeres haeredis, ut probabilius tenent Lug. La-Croix, etc. contra Less. Notandum 2. bona fide posse praescribi etiam liberationem a solvendo aliquod debitum, si debitor invincibiliter ignoret, ut dicunt Lugo et Croix. Item hic advertatur quod in praefata decisione admissa fuit praescriptio 30. annorum in beneficium tertii possessoris, cum bona fides praesumatur usquedum contrarium ab actore evidenter non probetur. Insuper statutum fuit advocatos, et procuratores elapsis duobus annis stipendium suorum laborum non posse contendere. Idem statutum fuit circa notarios quoad scripturas factas, si adhuc copiam non exhibuerint, quia copia exhibita, eis agendi actio amplius denegatur.

(1) La-Croix l. 4. n. 639. — (2) L. 3. n. 511. v. Si vero,

Idem pro pharmacopolis respectu debitorum principalium, quia respectu suorum haeredum agere nequeunt post duos menses; artifices post annum; famuli similiter post duos menses. Sed advertatur tales praescriptiones (ut ibi dictum fuit) non habere locum, si actor pro se scripturam publicam sive privatam produxerit. Insuper dictum fuit illas habere locum non ope praescriptionis, sed vi praesumptae solutionis: adeo ut in conscientia debitor obligatus remaneat, qui revera sciret debitum non solvisse (3). Notandum 3. certis personis privilegiatis, nimirum minoribus, locis piis, et uxoribus pro dotibus conceditur restitutio in integrum per quatuor annos post praescriptionem completam ad bona praescripta recuperanda (4). Notandum 4. ad praescriptionem requiri ut res sit apta praescribi; unde res furtivae, aut vi possessae nunquam praescribuntur. Illae res tamen, quas tertius possessor recipit bona fide a fure possunt praescribi, sed requiruntur 30 anni inter praesentes, et 40. inter absentes, alioquin non possunt praescribi. Ad praescribenda vero bona fisci requiruntur 40. anni (5).

13. Denique adnotare oportet communem esse sententiam apud theologos, et jurisperitos etiam in foro conscientiae praescriptione acquiri dominium (ait Cajet. Less. Lug. Silvest. Covarr. La-Croix, et alii). Et probatur ex *cap. fin. de praescript.* ubi tantum reprobat praescriptio male fidei; dum bene potest lex humana transire dominium bonorum ex uno in alium propter commune bonum, ut tot lites evitentur. Et advertendum quod lex communis de praescriptione in nostro regno neapolitano, licet in foro externo non admittatur propter difficultatem probandi bonam fidem, nihilominus non reperitur jam ex ulla alia lege abrogata, ut dicunt Staib. Gallup Prato

(3) Lib. 3. n. 516. — (4) n. 514. — (5) n. 515.

Ver. et Amato; quare etiam in nostro regno, ut dicunt præfati aa. contra Ursill. et Rovit. (et ut etiam medocuit doctissimus Episcopus d. Julius Torni) licite uti possumus præscriptione legitime facta.

CAPUT II.

DE FURTO

PUNCTUM I.

De essentia furti.

14. Quid sit furtum.
 15. De paupere in extrema aut quasi extrema necessitate.
 16. De redemptione Christianorum.
 17. An pauper teneatur ad petendum, etc.
 18. An possit accipere rem magni valoris.
 19. De fure qui consumit furtum in extrema necessitate.
 20. An dives non succurrendum pauperi, teneatur ad restitutionem.
 21. De compensatione.

14. Furtum definitur: *Est occulta et injusta rei alienæ ablatio invito rationabiliter domino.* Dicitur 1; *occulta*, ut distinguatur furtum a rapina, quæ fit vi, et novam culpam injustitiæ addit ratione injuriæ. Quod si res est sacra addit sacrilegium. Dicitur 2. *injusta*, quia secus non est furtum, nec peccatum, unde fit quod non peccat, v. g. uxor quæ aufert nummos a viro, ne cum familiæ damno eos dilapidet, aut vinum ne ebrietur (1). Dicitur 3. *invito rationabiliter domino*; nam in duobus casibus potest quis alterius rem accipere, etiam invito domino, nempe in extrema necessitate, et cum justa compensatio intercedit.

15. Et 1. quoad necessitatem, si quis alienum surriperet sibi, aut alii existenti in extrema necessitate, quantum est mere necessarium, non peccat, intellige, si non habet de proprio, prout dictum est *Tract. 4. n. 49*, quia in tali casu bona sunt communia, juxta quod docent omnes cum

(1) L. 3. n. 518. et 519. — (2) 2. 2. g. 66. a. 7. — (3) l. 3. n. 520. — (4) lb. 3. n. 520. v. Sed hic.

s. Thoma (2). Et idem currit pro necessitate quasi extrema, ut dicunt communiter Lugo Less. Sot. Cajet. Azor. Silvest. Carden. Salmant., etc. Ea necessitas esset, cum quis in probabili vitæ periculo esset, ut dicunt Navarr. Vasq. Roncagl. et aut amittendi aliquod membrum principale, ut Castropal. Dicastill. et Tambur. aut in periculo fieri captivus, aut ad trirèmes damnari, aut gravissimum, vel perpetuum morbum, aut infamiam incurrendi, ut Lug. Ronc. Elbel et Sporer, ex s. Thoma. Idem dicit p. Mazz. cum Suar., etc. de periculo prostituendi filiam; sed hoc ultimū probabilius negant Salm. Contra mihi videtur probabilius cum Less. Castr. Bann. Ronc. Viva, etc. posse nobilem sibi providere de re aliena, si esset in extrema necessitate, et ita erubesceret mendicare, ut potius mori contentus esset (3).

16. Sed hic plura dubia cadunt. Et 1. an divites teneantur redimere Christianos a Turcis? Alii communius affirmant cum Azor. Cajet. Major. et Filliuc; alii negant, ut Sporer cum Hurt. Sed si Sporer non dubitat concedere alicui alienum surripere, cum reperiretur in periculo fieri captivus, quomodo postea potest eximere divites saltem a contribuendo aliquod mediocre subsidium, ut redimantur ii qui sunt facti captivi? p. Concina sic scribit, et valde probabiliter: Si dives certo scit aliquem captivorum in periculo esse a fide deficiendi, aut vitam amittendi, tunc gravior erit ejus obligatio. Cæterum, subjungit, si redemptio magnam summam importaret, ipse non auderet tale onus diviti imponere, quia hoc posset incitare Turcas ad magis vendendos Christianos captivos, et ad majores incursiones faciendas, quæ postea in commune fidelium damnum redundarent (4).

17. Quaritur 2. an peccet extreme pauper alienum accipiendo, quin prius petat a domino? Coninchius damnat de peccato mortali, sed alii

communis, ut Less. Laym. et Concina, tantum de veniali. Nos distinguimus cum Cardin. de Lugo ita: si illa res particularis non est absolute necessaria pauperi, ille accipiendo graviter peccat, si eam non petat, quia alias omnes pauperes possent alienum surripere, quin petant. Si autem illa res est sibi absolute necessaria, omnino non peccat, ut dicit s. Thom. (1), quia tunc habet jus sibi eum vindicandi (2). Dictum est *extreme pauper*, quia in gravi necessitate nemini licet alienum accipere, ut habetur ex propos. 36. damnata ab Innoc. XI.

18. Quaritur 3. an in dicto casu quo illa res est absolute necessaria pauperi ad sibi vitam servandam, possit ille eam accipere cum res esset magni valoris? Negant La-Croix et Concina; sed rectius affirmant de Lugo Sporer et Croix vocat probabile, quia in extrema necessitate pauper jus habet in bona alterius cujuscumque valoris illa sint. Nec obstat dicere quod in isto casu dives non tenetur (prout cæteroque vult sententia communior et probabilior) ad succurrendum pauperi tanto dispendio, v. g. erogando ter aut quatuor mille aureorum; ut dicunt Lug. Castropal. Coninch., etc. modo pauper non esset suus pater aut filius; nam charitas non obligat cum tanto incommodo. Dum respondetur cum eodem Cardinali de Lugo, quod sicut in mundi principio, ante bonorum divisionem, utique quilibet poterat sibi de necessario providere, nullus autem contra ex justitia tenebatur proximo providere; ita in casu extremæ necessitatis (in qua bona fiunt communia) potest bene pauper accipere bona divitis, sed non tenetur dives ex justitia ei providere; teneretur tantum ex charitate: sed charitas (ut dictum est) non obligat cum tanto dispendio. Si tamen in eo casu positive eum impediret, ille peccaret

(1) 2. 2. q. 66. a. 7. — (2) L. 3. n. 20, Quar. 2.

contra justitiam (quicquid dicat Sporer); quia pauper tunc, cum habeat jus posse uti illa re, habet jus etiam ne impediatur quominus eam accipiat (3).

19. Quaritur 4. an fur teneatur ad restitutionem ablati, postquam, cum in extremam necessitatem ceciderit, eam consumpsit. Affirmant probabiliter et communius Less. Azor. Conc. et alii, dicentes necessitatem supervenientem non extringuere obligationem restitutionis jam contractam. Sed hoc non obstante sententiam contrariam Castr. Nav. Con. Sporer, etc. (probabilem nuncupatam ab ipso Less.) ego non audeo reprobare ut improbabilem, quia in tali casu fur habet idem jus in eam rem, quam habet quilibet pauper suam faciendi. Nihilominus hoc intelligitur 1. quoties pauper eget ea re in particulari, ut diximus in 3. quæsto. Intelligitur 2. si pauper tunc temporis non solum sit pauper re, sed etiam spe (4); nam sub tali distinctione dicimus etiam cum Castrop. Lug. Valent. Holzm. La-Croix Sporer Salm. et aliis, quod si quis etiam est pauper spe, tunc sicut dives tenetur ei absolute in elemosynam dare id quo eget, nec satisfaceret si mutuo ei daret, ita pauper, si casu fieret potens restituendo, non tenetur; teneretur quidem, si ipse alibi haberet alia bona, aut saltem spem probabilem illa habendi.

20. Quaritur 5. an si dives negligenter succurrere pauperi in extrema necessitate, ea elapsa, teneatur ad restitutionem. Affirmant Laym. Concina, dicentes quod pauper tunc jam habebat jus accipiendi bona divitis; sed communissime, et recte negant Less. Lugo Suar. Vasq. Coninch. Sanch. Holzman Salmant., etc. quia cum talis obligatio sit charitatis, ut superius vidimus, cessata necessitate, ad nullam restitutionem obligat; et licet pauper habuisset jus ad

(3) l. 3. n. 520. Quar. 3. — (4) Ibid. Quar. 4. et 5.